

2

FALSÆ
ORIGINIS
MOTVVM HUNGARICORVM, SVCCINCTA
REFVTATIO.



2

ANNO CHRISTI,

M. DC. XIX

Ad Rom: 13.

OMnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à DEO, quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt: Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION



U A M G R A V E,

divinisque ac humanis legibus damnatum sit, debitam Regi ac Domino fidelitatem negligere, arctissimum homagij sacramentum convellere, contra vñctum Domini arma convertere, ac (vt Apostoli verbis vtamur) potestati reluctando, Deo ipsi resistere, nemo est qui nesciat. Ab ipsa siquidem natura impressum est mentibus mortalium, etiam immanitate barbararum, potestatem à Deo esse, Deoq; ipsi resistere, qui potestati resistit. Lex autem æterni Dei est: Ignis æterni pœnam sustinere eos, qui spernunt dominationem, ac damnationem sibi acquirere, qui potestati reluctantur sublimiori.

*Indas v.
7. 8.
Rom. 13.
v. 2.*

Quocirca, vt hujus tanti tamq; immanis vitij noxam à se removerent, quicunq; injusta arma in Dominos ac Reges expediverunt, summo semper studio contenderunt, vt si veras ac solidas non possent, fucatas certè & ad speciem non aspernendas temeritatis audaciæque suæ rationes ostenderent, sicq; invidiam effusi sanguinis innoxij, vastitatisq; provinciarum, quæ ferè comitari solent hosce motus, à se removerent.

Id ipsum nunc in Martiali illo Pannonico tractu, non satis consultò, à Scribis aliquibus tentatum, qui nuperos contra Sacratissimam Cæsaream, Regiamq; Majestatem excitatos motus defendere, invidiamq; tumultus perniciosissimi, contra Ius ac fas paucorum temeritate concitati, in suam Sacratissimam Majestatem derivare non reformidant: quorum antequam rationes retundamus, opere prætium erit, paulò altius statum rerum Hungaricarum ex fide

A

2

ac ordi-

ac ordine rētexere, non ex inanibus fama volantis rumoribus, sed ex publicis tabularijs, authenticis scriptis, ac in totius Regni theatro gestarum rerum solidis narrationibus.

Ducenti propemodum sunt anni, quibus Hungaria assiduis bellorum, vel exterorum, vel Civilium, vexata procellis, vix alibi lectas rerum vicissitudines, cladesq; passa, veluti in altissimo jactata Oceano, nullum quietis, ac pacis publicæ portum aspexit; Donec tandem Deo clades nostras miserante, proximè lapsò triennio, tanta tamq; insperata pax Vngariæ ac Transylvaniæ illuxerat, quanta nec occlusis Iani portis, majorem Roma viderat. Nam, & cum Turcis Vicennales induciæ, ingenti sumptu ac labore pactæ erant, & cum Transylvanis æterna (ut sperabatur) fœdera icta fuèrant.

Et ad pacem quidē Turcicam quod spectat, licet ea ad Situæ ac Danubij confluxum tractata, ac conclusa fuerat Anno 1608. quia tamen diploma Turcicum, de pagis Tributarijs, alijsq; nonnullis rebus gravissimis, longè aliter quàm debebat, conscriptum fuit, idcirco novæ quotidie & in apertum bellum propediem erepturæ controversiæ, excursiones, pagorumq; deditiones fiebant. Quocirca, vel nova tractatione clarius omnia componi debebant, vel de imminente bello Turcico in tempore deliberandum. Itaq; ne quid inconsultò actum videretur, Matthias Imperator Anno 1614. Augusto Mense, Principes, ac Regnorum, Provinciarumq; Legatos, Linciū evocavit, sciscitatus quid consilij capiendum, si Turca suis inhærens prætensionibus, ad æquiores pacis conditiones adduci non posset? Ibi vno omnes ore Legatis Vngaricis assēsi: exhausta esse araria publica; nolle proinde Provincias bello Turcico implicari; nolle tributis militaribus gravari; malle etiam durioribus conditionibus, pacem fovere, donec respirarint provinciæ.

Eam

Eam ob rem Imperator, eò curas cogitationesq; suas convertit, vt pax Turcica refarciretur, firmaretur, & si qua ex parte posset, commodior efficeretur: Ingenti itaque sumptu, honestissimis, si vnquam antea, conditionibus, pax in proximum Vicennium Anno 1615. die 1. Decemb. conclusa fuit. Summa difficultas de centum quinquaginta octopagis, antea Turcis Strigonienſibus tributa pendere solitis, erat; sed longa tandem triennalis tractationis molestia obtentum, vt ex his 158. pagis, sexaginta duntaxat vctigales essent, reliqui ab omni tributo Turcico liberarentur. Itaq; pagi sexaginta Turcis dati non sunt, sed permillum, vt (quod antea quoq; factitarant) certum ac limitatum quotannis tributum, veluti liberæ ac securæ mansionis lytrum, Turcis penderent, ac nihilominus, dominio, Iurisdictioniq; Christianorum immediatè subjacerent. Et certè, eò res reciderat, vt nisi horum pagorum tributa Turcis permitterentur, vel apertum bellum suscipiendum foret, vel libera excurrendi, ac vi eos quos possident, ad conditionem compellendi, facultas Turcis permittenda: quorum vtrumque minori incommodo redimendum censuerunt, optimi quiq; Cives patriæ.

Pax quoque Transylvanica, eodem Anno 1615. die 6. Martij Tyrnaviæ conclusa, ac tam Principis moderni, quàm totius Transylvaniæ diplomatibus, sacrosanctè stabilita fuit, Eâ inter alia conditione (vt secretiora taceantur) *quod contra suam Majestatem, ejusq; legitimos successores, Reges Ungariæ, & Regnum, Augustissimamq; Domum Austriacam, Regna, atq; Provincias, cum quibus sua Majestas singularia pacta habet, nullo unquam tempore, averſam, & hostilem prætensionem habeat Transylvania, vel Princeps. Quin & illud annexum: Quod idem Dominus Betlehem, & successores legitime electi, vna cum Statibus & Ordinibus, promisit sua Majestati, suis successoribus legi-*

bus legitimis, Regno Hungaria, quandocunq; necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes, excepto Turca, omni ope, auxilio, viribus, & fidelitate aderunt.

Quia verò turbæ nonnullæ postmodum subortæ fuerant, iteratò, Anno 1617. Mense Iulio, hæc eadem pacta conventa, Tyrnaviæ stabilita sunt, ac hoc ipso Anno 1619. Mense Aprili, fide publicâ, testimonioq; authentico, Carolini repraesentato, tam à Bethlemio, quàm ab vniversa Transylvania, sacrosanctè roborata fuerunt. Adeoq; vigore huius foederis, non semel, vltro suam operam Bethlehem obtulit, seq; in expeditionem Bohemicam, decem millibus armatorum stipatum, pro suæ Majestatis arbitratu proficisci paratum exhibuit.

Dum igitur tam alta, tamq; expetita pax Vngariam totam inundaret, vna illa cura Imperatorem coquebat, vt porro constans, ac si non perennatura, duratura saltem hæc ipsa quies publica foret. Itaque ætati ac viribus suis fidendum amplius non existimans, ne (quod ante sæpius acciderat) Interregni tempore, Civilia, exteraq; bella Vngariam reflorescentem vastarent, exemplum Fratris, Patris, ac Avæ suæ, mandatum statuit, ac dum adhuc superesset, successorem in Vngaria quoque (vt jam in Bohemia fecerat.) Serenissimum FERDINANDUM eligendum, curaret. Hac itaque ratione, cum non in præsens solum, verum etiam in futurum, quieti publicæ satis consultum videretur, satis concedente Imperatore MATTHIA, Sacratissima quoq; moderna Regia Majestate ad conventum Electoralem abeunte, atrox ac insperatum rebellionis incendium exarsit. Nam factiosi quidam, ac malè feriatii homines, partim juvenili fervore dicam, an furore, concitati, partim innato in celeberrimam nationem Germanicam odio stimulati, partim dominandi, ac aliena diripiendi cupiditate inflamma-
ti, varijs

ti, varijs artificijs, ac aureorum montium pollicitationibus, Transylvaniæ Principem in societatem belli Civilis evocarunt, & ut rudi plebeculæ causam suam redderent gratiorum, infœliciei, sed hujus sæculi peculiari vicio, Religionem velut scutum obtendebant. Itaq; furor militaris, antesignanis Szeczy & Rakoczy, vtroq; Georgio, primùm omnium in sacratas Deo personas, templaq; ac supellectilem Ecclesiæ effundi cæpit; Sacerdotum collegia plura vastavit; venerabiles Episcopos, Præpositos, Abbates, Canonicos, ad ignominiam denudatos, foedè circumduxit, mancipiorum instar caureis, flagris, verberibus, sputis, milleq; verborum aculeis excarnificavit. Quid dicam de barbara illa Cassovienſi feritate? Marcum Crisinum Canonicum Strigoniensem, duosq; alios probatissimæ vitæ sacerdotes, Soc. Iesv Religiosos, Steph. Pungratz, & Melchiorè Grodecium cum nullis verborum minis, aut blanditijs adigere potuissent ut fidè Catholicâ ejurarent, crudelissimis vulneribus cõficiunt, ac cæteros quidem mortuos, ynulo adhuc spirante, in fœdissimam cloacam conijciunt, & vel ibi obfordesce permittunt, vel (ut fama fert) carnificis opera (proh scelus æternis flammis vindicandum) extrahunt, ac rursus in finum, fœtutinasq; ædium Bocacij, Carnificum ministerio, sanctissimorum Martyrum, cœlo, auratisq; laquearibus dignas reliquias, condunt. Virum Illustre, Andræam Doczy, Casareę Regiæq; Majestatis Generalem (vna re culpabilem, quod nimium quibus non debuit fidit) fœdæ captivitati addixerunt, ferreisq; compedibus (quibus ne Turcæ quidem honoratiores, si capiantur, à Christianis addici solent) velut vile mancipium à vindicibus (si Deo placeat) Vngariçæ libertatis, arctissimè cõstrictus fuit. Deniq; rapinis, prædationibus, innocentum oppressiõibus, sacrilegijs, omnia susq; deq; versaverunt; juramentum fidelitatis pro futuro Rege, vi & armis extorserunt; ac tandem Bohemorum

Trip. art. 3. rum, Moravorumq; copijs. conjunctis contra jus, fasq;, con-
part. Tit. 5. tra præstitum coronationis Regiæ tempore fidelitatis ho-
magium, *nullius alterius fidelitate salva*, sacrosanctè obser-
vandum, Imperatoriæ Majestati, vi injustâ, arma intulerunt.

Nunc verò, ut quod Deo hominibus quæ averfantibus temerè caperunt, non sine causa cæpisse videantur, Scribæ nonnulli, ac forenses rabulæ, seditionum flabella, prætextum, fucum, ac mangonium disquirunt, quibus apud sibi similes, causam injustam scelere eximant. Ac partim Cleri, maximeq; Illustrium totius Vngariæ Procerum famam, infami scripto *QVÆRELARVM* Vngariæ inscriptione, sine teste, sine ullis documentis, vanissimo duntaxat verborum crepitu, ac obduratæ frontis & oris temeritate dilacerant. Partim scripta nescio quæ secretiora, conspirationes, tech-
nas, occultaq; consilia continentia, inanissima fictione ja-
ctant. Partim deniq; responsione quadam Palatino Vnga-
riæ 23. Novemb. exhibita, Sacræ Regiæ Majestatis personam attingunt, quasi vel in Electione suæ Majestatis, vel in admi-
nistratione Reipublicæ, aliquid desideratum fuerit.

Cætera, quæ vel odiosè ac sine vlla veri specie in Cle-
rum conficta sunt, vel in Illustres Vngariæ Comites ac Ba-
rones, per summum convicium, & invrbanam dicendi li-
bertatem temerè jactantur, libens prætereo: hæc enim om-
nia unicâ negantis, vel recriminantis voculâ, convelle-
re cuivis proclive est. Et licet ea omnia falsissima cum sint,
vera essent, nemini tamen ob privatas simultates, intesti-
num bellum conflare, Regiæque Majestati debitam fide-
litatè ejurare fas esset. Ea igitur solum, quæ in Conventu Po-
soniensi, non quidem à Statibus, ac Ordinibus, sed à Scriba-
rum liberrimis, congesta sunt, Regiamque personam con-
cernunt, libera, ac sincera veritate ponderemus.

Duo igitur sunt, quibus præsentis motus Vngaricos,
absque

absque laesa Majestatis virio excitari potuisse, Scriba disputant. Primum est quod Electio Regis FERDINANDI contra ac miris artibus extorta fuit. Alterum est quod regnandi conditiones Regis Majestati oblatae, & ab eadem acceptae, non fuerint à sua Majestate observatae.

Primum illud caput, nudis, sed odiosissimis, inanissimisq; rerum impertinentium commemorationibus adstruunt, quae priusquam ordine discutiamus, age ex publicis Regni constitutionibus, luce clarius demonstremus,

Primus praetextus Rebellionis

nec vim, nec coactionem, nec subreptionem ullam in Electione sacra Regiae Majestatis obrepisse. Status & Ordines Regni, ad Electionem suae Majestatis progredi antea noluerunt, quam speciali diplomate Imperatoris MARTINI affluerentur, conceptis verbis, haec quae subnectimus, Regni constitutionibus inserta iri. *Universi status, & Ordines, Serenissimum FERDINANDVM Regem Bohemiae, Sacri Romani Imperij Electorem, Archiducem Austriae, &c. ob excellentes, & heroicis quibus pollet, animi, ingenijq; dotes, post plures eorum tractatus, juxta antiquam consuetudinem, & libertatem eandem semper observatam, paribus votis, unanimiq; consensu, in Dominum, & Regem ipsorum rite elegerunt, proclamaverunt, invocatoq; demum Numinis divini auxilio, feliciter etiam coronaverunt.* Quae ipsissima verba, in ipso capite constitutionum anni 1618. collocata, & Regis, ac Regni totius approbatione firmata fuere. Et audebit aliquis tam claram, tamque patentem Regni totius constitutionem, mendacij arguere, ac neq; paribus votis, neq; unanimi consensu, electum Regem FERDINANDVM blatterare?

Sed videamus tamen quibus non quidem Argumentis, sed inanibus suspitionibus, invitam, ac coactam fuisse Electionem suae Majestatis contendant. Scribarum examina

obun

B

Prin-

Principiò, exaggerant, quanta diligentia Dominus Archiepiscopus Strigoniensis electionem Regis FERDINANDI promoverit, non solum, quod vulgato scripto, splendorem virtutum, potentiam, nataliumq; Serenissimi Regis FERDINANDI, adusq; Sanctum Stephanum Regem deductam originem, commonstravit; verum etiam, quòd emensis maximis itineribus, ex Comitatu vno in aliud discurrerit, eoq; rem deduxerit, vt Electionem FERDINANDÆAM, nonnullis persuaderet. Verum, vt existimo, nullam hac in re culpam Dominus Archiepiscopus agnoscit, nec ipsum positi laboris, ac diligentiae vnquam poenituit; nihil subdolè, nihil clanculariè egit; Scriptum propagam Comitatus direxit; publicè ipsemet in Comitatus disseruit. Si malè locutus est, testimonium perhibere de malo. Si benè, cur tricamini? Quasi verò liberum non fuerit Archiepiscopo, quod cuiq; Nobili concessum est, vt Comitatus, in quibus jus suffragij habet, vel per literas, vel voce viuà cõveniret, sententiam suam de re proposita aperiret, quod optimum, ac Regno vtilissimum arbitrabatur, alijs quoq; persuaderet. Nihil igitur deliquit Archiepiscopus, iure suo vtens: Illi potius legum, ac libertatũ patriæ violatores censendi sunt, qui in crimine ponunt, quòd concessa omnibus libertate Archiepiscopus vsus fuerit.

Addunt; Archiepiscopum cum Clero, & suis secularibus, voluisse, vt Cæsar, non expectata legitima vocatione, FERDINANDVM Commissarij nomine expediret Pothonium: cui tamen, illicò solenniter fuit per Regnicolas contradictum, testibus literis superinde authenticè emanatis. Deum immortalem! quanta hæc est cœcata mentis hebetudo: Nam vt omittam falli eos posse, qui temerè effutiunt, vel Archiepiscopi, vel aliorum voluntate, Commissionem illam Regi FERDINANDO demandatam fuisse, & non nudo

nudo Matthiæ Cæsaris nuntii. Illud in confesso est, neminem Regnicolarum, adventui Serenissimi FERDINANDI, tanquam Commissarii, contradixisse. Comitatum aliquorum Nuncij, sub ingressu suæ Majestatis, Protestationem à Iudice Curiae, scripto extraxerant, cujus authenticum, ac Iudicis Curiae singrapha, sigilloq; munitum exemplar, dum hæc scribo, præ oculis habeo, hæcque ipsa verba continet. *Quod cum præfata Sacra Cæsarea Regiaq; Majestas, loco sui Serenissimum Dominum FERDINANDUM, Regem Bohemiae, &c. pro Commissario, in medium statuum, & Ordinum Regni expediverit. Ob hoc, præfatus Nuncius, eundem Serenissimum Dominum FERDINANDUM, Regem, pro Commissario ejusdem Cæsarea Majestatis acceptat, & omni, quæ par est reverentia & honore, venerari, acceptare, & recognoscere, tanquam suæ Majestatis Imperatoris, Domini clementissimi, fratrem, patruelæ, filium, ac Commissarium (salvis constitutionibus & libertatibus Regni quibusvis permanentibus) vult humillimè, ita quidem, & eatenus, ut percepta suæ Cæsarea Majestatis voluntate, & medio ejus fienda propositione, in omnibus se libertatibus, legibus, constitutionibus Regni, ad Instructioni ejus, accommodare, & ab ijs ne latum unguem discedere vult, prout idem Nuncius jam antea protestatus est; ita nunc quoq; protestatur.* Hic tenor est, hæc forma protestationis, cujus Scribæ meminerunt. In qua vides, nullam contradictionem contineri, vides summo honore, ac veneratione Regnicolas acceptasse Regem FERDINANDUM, tanquam Commissarium.

Queruntur Scribæ, Plenipotentiam rerum tractandarum Serenissimo Regi FERDINANDO datam fuisse, negotia, nempe omnia per Cardinalem, & Molardum tractata. Sed crassa hæc est, & supina rerum gestarum ignoratio. Ad cætera negotia Diatralia pertractanda Regi FERDINANDO fuit ab Imperatore data plenipotencia. Verùm,

quia Imperator praeiudicium ceteris tractatibus electionem
Regis FERDINANDI voluerat, nec de eius aut commo-
dum fuit, ut FERDINANDVS sua electionis negotium
promoveret; ea quae electionis negotium spectabant, ad
eamque requirebantur, alijs tractanda Caesar commiserat.
Sed, ut iudicio, ac voluntate turbati sunt Senes, calumnia-
rum textores, sic omnia confuse, ac inordinate permiscen-
da sibi existimarunt.

Subnectunt: Liberam Electionem labefactam fuisse
Caesarianos, ijs Comitibus, quibus Serenissimus Rex FER-
DINANDVS fuit inauguratus. Nam nec in propositionibus
de novo Rege eligendo vlla Electionis mentio fuit, nec vo-
ces illae (*mere libere*) ut Articulis infererentur, permissum.
Hic quoque candorem Scribarum desideramus. Res ita acta
est. In ea, quae de novi Regis electione, nomine MATTHIAE
Caesaris facta est, propositione, Cancellaria Aulica, iisdem
omnino loquendi formulis, iisdem praecise vta est vocibus,
quibus in simili occasione vta fuerat, cum ab Imperatore
RUDOLPHO MATTHIAS, cum MAXIMILIANO
RUDOLPHVS, eligendi proponebantur. Quod vero, nul-
la arte, sed solum imitatione praedecessorum contigerit; ut
Electionis verbum in propositione non haberetur, id vel ex
eo constare potest, quod Dominis Consiliarijs Vngaris pro-
positio haec communicata, antequam in publicum dare-
tur, nec ab ijs emendata fuerit. Praeterea, quod sua Majesta-
tis nomine declaratum fuit, nihil Majestatem suam, iuri-
bus, libertatibus, constitutionibus Regni, praedilectum hoc
facto velle. Nec arbitrari Majestatem suam, ita Dominos
Vngaros, liberam electionem astruere, ut nullam sanguinis
Regij, nullam tot beneficiorum, Domus Austriae, ratio-
nem habendam existimant, cum leges Vngariae, magna
viriussque rationem habendam decernant. Anno 1485. Art:
1. 2. 3. Anno 1547. Art: 5. Anno 1552. Art: 1. Anno 1569.

Art:

Art. 32. Quæ ubi Regnicolæ acceperint, aperte renunciarunt mentem ipsorum non fuisse, ut nulla Regi sanguinis, nulla benemeritorum Inclita Domus Austriacæ ratio haberetur: solum veterem liberæ electionis usum, ac facultatem retinere velle. Quocirca, cum nec Regnicolæ novum aliquid ex peterent, nec Cæsar vlla ex parte veteres Regni libertates immittas vellet, magno omnium assensu, conclusum fuit, ut tam ex Tripart. part. 1. tit. 3. quam ex Decretis Vladislai & MATTHIÆ secundi voces, ac clausula omnes seligerentur, quibus liberæ electio expressa aliquando fuit, eaq; omnes in ipso Articulorum vestigio figerentur, ea ipsa, quam antea recensimus formula. Hec ita gesta, ex Actis Diætæ Anni 1618. exscripti, nec ullus, qui Diætæ interfuit, aliter actum dixerit. Atq; ex hac nuda gesta rei narratione constat, quam inconsiderata libertate à Scribis dictum sit, aliquid de antiquo liberæ Electionis iure decerni cogitatum fuisse iis Comitibus, quibus Serenissimus Rex FERDINANDVS inauguratus fuit.

Nonnullos Comitatum Nuncios fuggillant Scribæ, quod corrumpi se passi sunt, ac contra datam Instructionem Electioni Serenissimi Regis FERDINANDI consenserint; Verum nihil attinet hosce Nuntios longa oratione defendere; supersunt plerique, & forte etiam Posuissent præsentibus tam his facile est dicere, mentiri Scribas ista comminantes, quam facile fuit effutire inconsultam calumniam.

Rixas etiam, imò & cædes Germanos inter & Ungaros Comitiorum tempore factas, commemorant: Quasi vel novum, vel alijs Comitibus insolens fuerit, cædes ejusmodi perpetrari. Concedamus etiam minas à quibuldam jactatas, contra eos, qui Rempublicam perturbare, ac rebus infectis abscedere tentarent. Certe diffiteri non possunt, multo gra-

viora, atrociora quæ à Lutheranis minarum plaustra in Catholicos coniecta; Sed nemo sapiens iudicaverit, privata nonnullorum inter se iurgia, publicæ tranquillitatis perturbandæ, iustam causam esse.

At enim, Primatis Regni Vngariæ publica vox fuit, præstare, ut totum Regnum feræ inhabitent, quàm ut Hæreticorum in eo feratur permanſio. Interrogatus Dominus Archiepiſcopus Strigoniensis Primas Hungariæ, an hæc fuerit publica vox ipsius? Sanctè affirmat, nunquam sibi nec in os, nec in mentem istud veniſſe. Huiusquæ rei testes adhibet omnes, qui Comitij præſentes interfuerunt. Aliud quippiam, longè diuersum, sapius à se publicè dictum non diffitetur. Cum enim in eo puncto verſarentur, An Rustici contra voluntatem Dominorum terrestrium, Tempa occupare, ac prohibitu alienæ religionis professioni applicare possent? Idem Dominus Archiepiſcopus repetijt, malle se, ut subditi ipsius, desolatum pagum relinquunt, quàm ut contra Iura patronatus sui, Rustici templa sibi vendicent; Licet enim, posteaquàm publicis legibus professionum diuersitas tolerata fuit, nemini subditorum suorum causâ Religionis molestiam intulerit, Tempa tamen Rusticis occupanda permittere, nullo modo voluit. Viri graves, qui Comitij interfuere, recognoscunt, nihil aliud à Domino Archiepiſcopo dictum. Sed Scribæ, calumniarum confarcinatores, ut odiosè traducant; non ut solida veritate nitantur, elaborant.

Non absimilis calumnia alibi in eundem Dominum Archiepiſcopum iactatur, quòd is apud Regnicolas promouerit, ut decem & septem conditiones FERDINANDO Regi exhiberentur. Quicunquæ Diatæ præſentes interfuerunt, meminisse possunt, Archiepiſcopum diu multumquæ; omni conatu restituisse, ne conditiones aliæ Regiæ Majestati proponerentur.

ponerentur, quàm quæ antea Regibus proponi solebant, quæq; in ipsa Regij Iuramenti formula distinctè continentur, ut nimirum jura, libertatesq; priscas Regni tueatur. Sed cum non possè se resistere animadverteret, in eo laboravit, ut ad æquitatem, quàm posset maximè, conditiones inflecteret.

Sed mutilatis inquit, neq; satis integris votis, Electio Regis est peracta. Palatinus siquidem creatus ante non fuit, cui primam in Electione Regis vocem edere incumbebat. Verum, id quoque inane est prorsus, atq; evanidum. Nam non diffiteor, legibus Vngariæ sancitum, *quòd si quando Regium semen deficere contigerit, & de Electione novi Regis tractetur, in ipsa Electione, Palatinus ex officij dignitate, primam vocem semper habeat.* Verum enim vero, in eo casu (Deo gratiæ) non fuimus, de quo Lex agit: Neque enim Regij seminis defectus apud nos fuit, cum Serenissimus Rex FERDINANDVS II. per lineam rectam, à FERDINANDO I. avo paterno, descendat. Quid? quòd nostrâ ac parentum memoria, complures factæ sunt Regum inaugurationes, absq; interventu Palatini, quas tamen nemo sapiens, vel mancas, vel imperfectas fuisse dixerit. Nam, ut taceam ab obitu Thomæ Nadasdij, qui Anno 1562. die 2. Iunij, fato suo concessit, Palatinum nullum fuisse in Vngaria vsq; ad annum 1608. quo Illeshazius electus fuit; Interea tamen, Anno 1563. die 8. Septemb. MAXIMILIANVS, Anno 1572. die 25. Septemb. RVDOLPHVS, absq; ullius Palatini interventu, Reges Vngariæ fuerunt inaugurati. Nuper etiam, MATTHIAS secundus, felicitis memoriæ, absq; Palatino electus fuit: peracta siquidem Regia electione, Palatinus postmodum fuit nominatus.

Deniq; odiosissimis verborum aculeis exasperata ditione addunt: Clerum, & seculares, sub signis Pazmannianis me-

Decreto
Anni 1489.
Artic. 1.

his merentes, Articulum Viennensem, de libertate Religionis fortiter oppugnasse.

Ceterum hic quoq; res longe aliter se habet, nam tamen Clerus ab initio cōcessit huic libertati, palam ac aperte reclamavit, & contradixit, cum tamen intelligeret sapientis non esse frustra nitendo odia colligere, Articulum illum Viennensem sibi oppugnandum non sumptum, sed novis tantum Adversariorum conatibus, se se pro viribus, ex debito conscientia, opposuit. Quod ut clarius intelligatur, causaq; Catholicorum aiquitas omnibus innotescat, agerem ipsam ab origine rerexamus.

Anno 1606. concessa fuit in Viennensi pacificatione libertas Religionum Magnatibus, Nobilibus, liberis Civitatibus, Communiis militibus Hungaris, oppidis privilegiatis, immediate ad Coronā spectantibus, Nullatenus Plebi Rusticæ, nulla Oppidis ac Villis Dominorum libertas data.

Postmodum Anno 1608. tempore coronationis MATTHIÆ secundi, extensa hæc libertas fuit ad Bagos & Oppida, adeoq; ad Plebeos etiam ac Rusticos Dominorum. In his vero omnibus concessionibus, ita libertas permissa fuit, ut nulla Templorum mentio haberetur, ac proinde Ius in Templis eo in statu relictum fuit, in quo, ante has concessiones fuerat. Primum in Comitibus Anni 1618. virgere ceperunt Adversarij, ut peculiariter lege, in ipsa quoq; Templis Ius subditis permitteretur, ita quidem, ut licet Dominus Catholicus, immo etiam Ecclesiasticus foret, si tamen subditis ita adlibesceret. Templis Catholico Domino eripere, ac eorum usum (introducito Prædicante) pro se vindicare possent. Hoc vero suum intentum, duplici ratione admittendum suadebant.

Primo, quia liberum Religionis exercitium haberi sine Templis non potest. Cum igitur Rusticis exercitij libertas permissa

permissa sit, consequens est, ut Templà quoq; ipsis permissa intelligantur.

Secundo, Nam etsi Viennensis Pacificatione, alijsq; Constitutionibus, Templorum mentio non habeatur, tamen in quodam Archiducis MATTHIÆ (postea Imperatoris ac Regis) Diplomate, Anno 1606. die 27. Septembris Viennæ dato, Templorum quoque fit mentio; siquidem eo Diplomate explicat sua Serenitas, postremam illam primi Articuli Viennensis clausulam, quæ cavetur, ut absque præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis intelligatur concessa esse libertas Religionum. Declarat itaq; illud, *non male fide adjectum esse, sed ut utraq; pars, in eorundem Religione, confessione, usu, exercitio, & Templis non turbentur.*

Cæterum Catholici, nullo negotio ad ista respondabant. In primis enim, si ad liberum exercitium Religionis Templà forent necessaria, cur Leuczoviæ, Eperiesini, Barfæ, Cremnitij, alijsq; compluribus locis, ubi Catholici haud contemnendo numero inveniuntur, nulla Templà Catholicis permittuntur? Accedit, quòd Dominis Terrestribus eripi volunt Templà Adversarij, eaq; Rusticis permitti, & nihilominus liberæ Religionis usum Dominis Terrestribus adimere se velle haud dicent. Quid ni igitur & Rusticis suæ Religionis libertas, etiam sine Templis, constare possit?

Ad Diploma illud, Viennensis Articuli explicatorium quod attinet; Catholici vivo adhuc, ac valente Imperatore MATTHIÆ, absque vlla suæ Majestatis læsione, palàm professi sunt, illo se Diplomate non teneri, eò quòd, legibus Regni sancitum sit, Diplomata ac Privilegia, ab eo qui Regio diademate insignitus non fuerit, profecta, Vim, ac vigorem habere haud posse. Certè si Archiducis conclusio rata per se, ac stabilis esse potuisset, absque Coronati Regis calculo, nihil attinebat Viennensis Pacificationis confirma-

tionem, ab Imperatore ac Rege RUDOLPHO felicis memoriae, expetere; Quotò ergo magis, secreti illius Diplomatis, ab Archiduce solo, postquam Plenipotentia sua perfunctus jam fuerat, dati, confirmatio à Rege petenda fuerat, si robur habere debebat? Sed, etsi concedatur Diploma illud validum esse, certò Catholicis patrocinator: Nam Diploma illo explicatur Viennensis Articulus primus: ac proinde, ijs tantum deferuit, quibus Viennensis ille Articulus. Clarum est porro, ex verborum aperto contextu, primum illum Articulum Viennensem, Statibus & Ordinibus, Magnatibus, Nobilibus, Liberis Civitatibus, Præfidiarijs Militibus, Oppidis Coronæ, duntaxat deferuire, non autem Rusticis, quorum nulla eo Articulo mentio habetur, Quocirca juxta Diploma prædictum, non Rusticis, sed Dominis ipsorum, usus Templi committitur. Et licet (ut diximus) libertas Religionis ad Rusticos quoque extensa fuerit, in Articulis Anni 1608. De Templis tamen arbitrio Rusticorum, permittendis, nec tunc, nec vllò vnquam tempore, quicquam constitutum fuit.

Rationes porro quàm plurimas adferebant Catholici, ob quas, nec possent, nec deberent, liberam de Templis suis disponendi facultatem Rusticis permittere. Nam in primis, cum libertas Religionis, non solis Rusticis concessa sit, sed & Dominis, Vigore hujus concessionis, non possunt Rustici potiori ratione prætere Templa, quàm Domini; quin potius cum omnis ratio postulet, ut cæteris paribus Dominus præferatur Subdito, ex vi Constitutionum liberum usum Religionis permittentium, potius Dominus Terrestris debet usum Templorum pro se, ac suæ Religionis exercitio habere, quàm subditi. Deinde: Iure Hungarico, Rustici in terris quas incolunt, præter laborum mercedem nihil Iuris habent, sed totius terræ quam incolunt, proprietas, ad Dominum

Tripert.

Ipse 3. tit

-30.

minum pertinet. Si igitur nec fundus in quo ædem fixit, est Rustici, quæ ratio suadet ut contra voluntatem Domini, Templorum usum ac proprietatem ipse habeat? Ad hæc Domini tanquam Patroni Ecclesiarum, nec possunt, nec debent cogi, ut Iuripatronatus renuntient, illudque in suos transferant Rusticos: quod sanè fieret, si ad nutum Rusticorum, contra primævam foundationem, ac contra voluntatem Domini Terrestris, Ecclesiæ conferrentur. In eò siquidem vis & substantia Iuripatronatus consistit, ut Patroni, juxta primævam Templorum foundationem, ijs quibus volunt Ecclesiasticis personis, Beneficium ac Templum administrandum conferant. Denique si cætera omnia desissent, illud ad æquitatem causæ Catholicorum sufficeret, quod in omnibus superiorum Annorum tractatibus, nunquam Rusticis potestas in Templa nostra concessa fuit, quod ex oculari Statutorum inspectione, & ex facto Adversariorum liquidò constat. Si quid enim hac de re statutum est, cur contenti non sunt, ut vetera Statuta manerent, sed novum de recenti hoc postulato, scribi volunt Articulum? Quod cum ita sit, Iure suo usi sunt hucusque Catholici, in bonis proprijs, Templa ijs, quibus libitum fuit, conferendo; Iure suo & nunc utuntur, cum eripi sibi & in Rusticos transferri nolunt, tot sæculis continuatam Iuris-patronatus possessionem. Ac proinde, per summam injuriam petitur ab Adversarijs, ut hisce suis Iuribus Catholici inviti spoliarentur.

Hæc summa capita sunt Controversiæ quæ postremis hisce duobus Comitijs de negotio Religionis intercessit. Ex quo apparet, subdole ac fraudulenter à Scribis dici, oppugnatum fuisse per Catholicos Articulum primum Viennensis pacificationis. Nulla enim de eo Articulo disceptatio fuit, sed novæ, ac multis nominibus iniquæ postulationi Adversariorum de Templis receris excitatæ, sese ut debebant, constanter opposuerunt Catholici, Es

Et hæc sunt (scilicet) solida illa ac firma Indicia, quibus Scribarum audacissimi, primum suæ Rebellionis prætextum adstruunt. Deum immortalem; quæ hæc est ratiocinatio? Archiepiscopus multa satagendo persuasit nonnullis Electionem Regis FERDINANDI; Rex FERDINANDVS tanquã Cæs. Majest. Commissarius Posonium venit; De Electionis Regiæ jure; de Templis Catholicorum Dominorum proprijs, variè disputatum. Præcessit Regia Electio Palatinalem. Privata rixæ & homicidia inter Germanos & Ungaros acciderunt; quidam mutuo minas jactarunt. Ergo Rex FERDINANDVS coactè, ab invitis Electus fuit. En ut perditâ fidelitate Regi debita, etiam judicium perdant homines. Eligite quod vultis. Vel Status & Ordines Vniuersi contra mentem locuti sunt, cum publicis Regni Decretis inferi curarent. *Vnanimi consensu, paribus votis* Electum esse FERDINANDVM in Regem ac Dominum: Vel Scribas falli, & fallere, contrarium asserendo. Equidem, si nuda asseveratio invitæ Electionis sufficit ad velandam Rebellionem, nemo erit, cui non semper promptum sit Rebellare. Certè antequam seditiosi hi motus in Vngaria concitarentur, nemo fuit, qui coactam fuisse Regis FERDINANDI Electionem somniaret: quin potius, Vniuersi Status & Ordines, pro vero, ac Legitimo Rege, Majestatem suam agnoverunt. Diætâ per Majestatem suam intimari petierunt; Diætâles Articulos suæ Majestati confirmandos transmiserunt; Ad celebrationem Diætæ, Plenipotentiam pro Palatino à sua Majestate petierunt; honestissimis legationibus, innumerisq; publicis ac privatis actibus, pro vero, ac legitimo Rege suam Majestatem palàm professi sunt.

Secundus
Prætextus
Rebellionis

AD ALTERVM Rebellionis hujus prætextum veniamus. *Idem suprà auditum est*

Accusatur Serenis: Rex FERDINANDVS, quod verbum

bum suum Regium nihili aestimârit, conditionesq; (qua-
 rum observationem, dato Diplomate receperat.) minimè
 observârit. Gravis accusatio, & vel à privatis personis gravi-
 ter vindicari solita injuria, quæ tamen in Regibus tantò
 gravior censenda est, quantò illos dictorum, conventorum-
 que constantia, magis decet. Possum vno calami ductu, to-
 tius hujus calumniæ asperginem obducere, & vno velut
 ictu, confertam accusationum struem evertere. Nam in
 Generali totius Regni Diata Anno 1619. die 13. Augu-
 sti conclusa, communis est illa vox Statuum & Ordinum
 vniuersorum, publicis Regni constitutionibus inserta. *Sacræ*
Regiæ Majestati Domino & Regi ipsorum clementissimo, Status &
Ordines Vngariæ, immortales humillimè agunt gratias; quippè
tum videant suæ Sacræ Majestatis ergà eosdem fideles Status &
Ordines eam esse benignitatem, ut suæ Majestas, nihil omninò eo-
rum, quæ vel vigore diplomatis sui Regij, vel Articulorum, tempore
felicis suæ Coronationis Anno superiore sancitorum stabilita fuerant,
in sese desiderari patiatur. Hucusq; Status, in tabulas Regni
 relata sanctione. Labet hic à scribis, Regis FERDINANDI
 calumniatoribus, sciscitari: vera nè hæc sint quæ à toto Re-
 gno, ac Statibus vniuersis in Articulos relata sunt, An falsa?
 Certe nisi Regnum vniuersum per summam injuriam men-
 dacij arguant, fidemq; deinceps omnem Statibus, Statutisq;
 Diatalibus adimant, vera esse fateantur necesse est. Porro
 si verum est, in Rege FERDINANDO Domino nostro
 Clementissimo, nihil desideratum esse eorum, quæ vel vi-
 gore Diplomatis, vel Articulorum stabilita erant; Falsa igitur,
 ac calumniosa est accusatio Scribarum, quâ suam Ma-
 jestatem non observati Diplomatis reum pronunciant, sci-
 licet vt hac ratione, rebellionis suæ maculam eluant.
 Sed, demus Regiam Majestatem ad effectum non de-
 duxisse, quæ Diplomate suo promiserat. Nego ea de causa
 suam

suam Majestatem aculari meritò posse. Nam cum ad Electoralem Conventum Majestas sua proficisceretur, ad instantiam Regni, amplissimam, & ut publicæ Regni constitutiones hoc Anno 1619. stabilitæ habent, *Absolutissimam de omnibus Dietalibus negotijs agendi, tractandi, deliberandi, & ad benignam suæ Majestatis ratificationem, concludendi, potestatem, Palatino, concessit.* Annè igitur suæ Majestati impurandum quòd nihil conclusum, nihil fuerit effectuatum? minimè gentium: Ipsi enim Status & Ordines, publicis Regni Constitutionibus, Articulo primo ita statuerunt. *Status & Ordines decernunt, ut omnia negotia, tam scilicet effectuatio conditionum, in Diplomate suæ Majestatis comprehensorum, quam verò sublatio gravaminum, habita ratione præsentis temporis, differantur, ac in futuram Dietam, ante omnes alios tractatus definienda, complananda, effectuantur, reserventur.*

Videtur Scribarum inconsultissimi, non suæ Majestatis neglectu, sed publico Regni Decreto factum esse, ut ea, quæ vos impleta non esse causamini, differrentur.

Sed agamus liberaliter, & carptim ea quæ magis odiosa videri possent, in Majestatem suam contorta spicula, singillatim confringamus.

In prima acie, velut robur accusationis, illud statuitur; *Quòd Majestas sua promiserit, absq; consensu Regnicolarum, in nullam partem administrationis Regni se se intromissuram: Et tamen, Episcopatus contulit: Nicolao Esterhazy & Gasparo Horvath officia, dignitatesq; ei elargitus.* Hic verò Scribæ accusatores, manifestum falsi crimen admittunt. Neque enim Regiam promissionem, ut in se est, memorant, sed mutilant, ut fraudem suam occultent. Regia promissio Conditione 17. expressa est, quòd *vivente Cæsarea Majestate*, in administrationem Regni se se non intromittet, absq; suæ Majestatis benigna voluntate, Regnicolarumque assensu. Hoc verò sua

Majestas

Majestas adeo sanctè observavit, ut nec Scribarum dicendi licentia, quidquam memorare ausit, in quo sua Majestas administrationi Regni, se se immiscuerit, vivo Cæs: MATTHIA. Ea enim quæ enumerant, omnia post obitum Cæs: MATTHIÆ acta fuerunt. Verùm criminatores Scribæ, cum viderent, ruere per se se hanc calumniam, si integrè promissionis verba referrent, maluerunt suffragari verba illa (*viuente Cæs: Majestate*) Nam post mortem MATTHIÆ Cæs: ipso Electionis, ac Coronationis jure, administrationem Regni Serenissimo FERDINANDO incubuisse, ipsum quoque Regnum in nuperis Comitibus agnovit. Quæ in Illustres viros Nicolaum Esterhasi, & Casparum Horvath iniquissimè jactantur scœmata, retorqueri, cum scœnore possent, si Scribarum ac forensium rabularum furori componi, indignum non existimaremus.

Luculentum & illud falsi crimen est, Reges ex domo Austriaca, spontanea voluntate, promovendarum suarum practicarum gratia, sexaginta pagos Turcis concessisse. Et aliquot Arces, cum potiori Regni parte, medio Capitanei Comaroniensis, eidem Turcæ promississe.

Insignis est hæc calumniandi licentia, quæ tamen, non Sereniss. Regem FERDINANDVM, sed generaliter Reges ex domo Austriaca petiit. Nam nec pagos ullos Majestas sua Turcis tradidit, nec arcem ullam nedum ut potiores Regni partem Turcis promissit. Ut imperitum vulgus in odium Regis FERDINANDI asperarent, confinxerunt quidam, Vacium, & quædam alia Vngariæ loca, medio Illustri D. Raissenberg Gubernatoris Comaroniensis, Turcis promissa esse. Quod impudens figmentum, nullis indicibus, mera calumniandi libidine excogitatum fuit. Nec dubito quin Illustri Dominus à Raissenberg, coram & in faciem mendacium ager, quicumque dicere audeat, per ipsum

ipsum Turcis, Arces aliquas promissas fuisse. Quod pagi sexaginta tributum Turcis pendant, id qua ratione factum sit, paulò superius est demonstratum. Sed ut res evadat clarior,

Primum illud hoc loco considerandum; pagos illos, non eo modo Turcis esse datos, quo modo Lippha ac alia annexa praesidia, longè maximo cum pagorum numero, Turcis assignata fuere. Nā sexaginta pagi, permixti solum sunt ut tributum, quo suam redimant securitatem, Turcis pendant: id quod pagorum illorum incolae, maximis saepe precibus contenderunt, cum aliās, ob metum excursionis Turcicae, nullā vitæ ac facultatum suarum securam horam haberent, Turcis assidue exitium minitantibus: Quin & à Comitatusibus, ad Commissarios Cæsareos, Tyrnaviam, Emericus Lyptai expeditus fuit, rogatum, ut minori incommodo, graviora pericula redimantur, ac pagi illi censum pendere permittantur potius, quàm vel in assiduo metu versentur, vel alios quoque pagos secum vna in ruinam, ac vastitatem trahant, praesertim cum ex quo tempore de pagis sexaginta tractatur, penè totidem jam pagos, Turcae dedititios fecerint.

Secundum illud considerandum est: vigore Articuli, 15. 16. 17. pacificationis ad Sicuatorok cum Turcis conclusæ, à Georgio Turzò (qui ex Vngaris ei tractatui praefuit) plusquàm septingentos pagos Turcis esse simili ratione datos; Nam nisi Regestra quæ ad manū habeo, fallunt, tributa pendere concessi sunt vigore illius tractatus in Comitatu Strigoniensi pagi 34. In Comitatu Comaroniensi pagi 36. In Comitatu Barsiensi pagi 51. In Comitatu Hontensi utroque, pagi 45. In Comitatu Nogradensi pagi 159. In Comitatu Tornensi pagi 14. In Comitatu Abviviariensi pagi 21. In Comitatu Borsodiensi pagi 93. In Comitatu Hevesiensi
pagi

pagi 137. In Comitatu Tolna & Barania. vtraq; pagi 25. ad
Albam Regalem & Canisam ex Comitatibus Cisdanubia-
nis, pagi 135. Hi igitur omnes pagi (quorum nomina in
Regestris annotata habeo) vigore pacificationis Situato-
rokianæ, Turcis, eodem modo tributarij concessi sunt, quo
pagi illi sexaginta. Proinde trabem in oculis proprijs non
vident, qui optimi ac integerrimi viri, Ladislai Perthe fa-
mam, iniquissimè depreciant.

Tertium illud circa hos sexaginta pagos considerandū
venit. Totam culpam deditorum sexaginta pagorum, ejus
fuisse, qui pacis ad Situatorok tractatui præfuit. Nam perni-
ciosa quâdam inadvertentia, aut quoquo tandem modo,
literæ Turcicæ, Capitulationes pacis continentes, in pluri-
mis punctis, longe aliter se se habuerunt, quàm literæ Maje-
statis Cæs: Atque inter alia, circa Articulum Decimum sex-
tum, ea vtriusq; Diplomatis differentia fuit, quòd Cæs: Ma-
jestatis Diploma, eos solos pagos ad Strigonium dedititios
permisit, qui tunc tributa pendere soliti erant, quando Stri-
gonium à Christianis receptum fuit. Hi verò pagi, numero
paucissimi fuêre, nam durante bello Turcico, multi sensim
pagi à tributaria solutione liberati erant. Turcicæ verò lite-
ræ, quæ examissim cum Cæsareis concordare debuerant,
longè alium sensum referebant. Eum nimirum, vt pagi, qui
dedititij fuerunt antequam à Cæs: Strigonium occupare-
tur, deinceps quoque tributa penderent. Cum igitur Turca
juxta suas se literas pacem servare velle, nec quid litteræ Im-
peratoris haberent morari, pertinacissimè contenderet, pa-
gosque centum quinquaginta octo, quos, antea dedititios
fuisse, exhibitis Regestris, comprobabat, nunc quoq; tribu-
tarios facere velleret, agre tandem trienniali tractatione effe-
ctum, vt sexaginta pagorum tributo contentus esset.

Quantum denique illud hic animadvertendum. Cæs-

D

rem

rem **MARTHAM** antequam hos pagos tributa pendere permitteret, paratum fuisse; apertum Marte à Turcarum oppressione vindicare: atque eo nomine Lincium advocatis Principibus ac Provinciarum Legatis, exposuisse innumeras, quas Turcæ inferebant molestias. Sed Vngarorum Legatorum suasu, pax etiam incommoda, belli incommotis prælata fuit: Atque adeò quidem invitè, pagis illi Turcis promissi fuere, ut me audiente, centum aureorum millia, Turcis oblata fuerint, dummodò ab horum pagorum tributis abstinerent; tum tamen, facta suppuratione, intra induciarum vicennium, vix aut ne vix quidem, dimidium illius summæ, ex horum pagorū tributis excreset. Hæc vera ac certa est rerum circa sexaginta pagos gestarum narratio, quam ipsi testibus comprobare promptum est, qui res ipsas tractarunt: Scripturis quoque per omnia assentientibus. Ut ut tamen res acta fuisset, certe à Serenissimo Rege **FERDINANDO** acta non fuit, atque ita, ne ipsa quidem calumnia, Majestatem suam hic incusare potest.

Sed pergo: & in cæteris quoque, non observati diplomatis conditionibus, Scribarum vaniloquentiam commonstro. Obiter perstringunt Scribæ, quòd Regia Majestas in persona ad Comititia non venerit; quòdque Palatini Autoritati non satis exactè consultum fuerit. Sed absentiam hanc suæ Majestatis non sinit proficiscendi in Imperium extortam, à quo ipso acceptarunt Regni Ordines. Palatino autem, haud ita, in tantum unquam autoritatis attributum ab aliquo Rege fuit, quantum à Serenissimo **FERDINANDO**. Atque utinam, qui tanti æstimare videri volunt Palatini auctoritatem, æstimarent re ipsa, non ad inanem speciem duntaxat. Plura non addo: res enim est in aperto.

Regrediuntur religiosissimi Scribæ, ad Religionem, in qua

qua se turbari à Clero, & Secularibus Dominis Catholicis lamentantur. Si à Clero & Secularibus Dominis, ergo non à Rege FERDINANDO, ad quem referre debueratis, si à quopiam turbabamini, non ad rebellionem actum convolare. Sed nec verum est à Clero, & Catholicis turbatos vos fuisse in negotio Religionis, Passivè, vel ut Iuristæ dicunt, Defensivè sese habuerunt Catholici, in omnibus quæ de Religionis negotijs versatæ fuerunt, controversijs.

Concessionem vobis factas non oppugnarunt; summam illam quidlibet credendi licentiam, cum legibus permissam viderent, non sine ingenti commiseratione pereuntium, patienter ac quiete tolerarunt. Vos libertate vestra non contenti, magna cum injuria Catholicorum, duo quædam nova extorquere voluistis, quæ nusquam legibus permissa hucusq; fuerunt. Alterum, ut in bonis Catholicorum Dominorum, Tempa, pro libitu Rusticorum adimeretis; Alterum, ut Iesuitas Regno exturbarentur. Nova hæc sunt vestra postulata, quibus Catholicis, supra mensuram gravari se sentiunt. Itaq; pro officij, conscientiaq; suæ ratione (cum sine damnationis æternæ reatu, deesse iustæ suæ defensionis non possent;) novis istis, nec vlla Lege sancitis votis adversantium, constanter resisterunt. Quæ hic vestra vexatio? quod incommodum? turbatis aquam Lupi, & Agnum incusatis. Iudicet ac vindicet Dominus. Nam quod contra Iura Regni receptos esse Iesuitas Tyrnaviam causamini: id quoq; longe aliter se habet. Regni Articulus contra Iesuitas latus, mansionem in Hungaria liberam ipsis permisit. Bona possessionaria habere vetavit. Nec quicquam contra hanc Legem ab ipsis peccatum, licet enim Tyrnaviensem ædem ad inhabitandum à Cæs: MATTHIA

acceperint, nulla tamen possessionaria bona habuerunt, sed meritis Catholicorum eleemosynis sustentati fuerunt. Quòd vero Catholicorum nonnulli, liberè affirmarint, Serenissimum Regem FERDINANDUM, nova prorsus & iniqua ista postulata adversariorum, minime confirmaturum; id non exinde factum, quasi secretorum Sereniss: Regis consiliorum conscij forent, sed quòd scirent æquitatis ac Iustitiæ amantissimum Regem, nemini injuriam facere velle. Summa autem foret injuria, si vel Tempia Dominis catholicis invitis eriperentur, vel eorum Sacerdotes, ad nutum & arbitrium adversariorum, absq; vllò crimine, vel delicto, cum summo dedecore, proscriberentur. Literas privati hominis, quas interceptas dicunt, cujusnam fuerint, non explicant. Ne dubita, si Clari alicujus viri fuissent, vlrò nomen propalassent. Sed quisquis tandem ille fuerit, qui liberius de actionibus MATTHIÆ Cæs: pronunciârit, quàm privatam personam decuerit, nulla ejus facti culpa penes suam Majestatem residet, vt ipsi quoq; Scribæ faciliè intelligunt.

Vltimum caput accusationis est, quòd Regia Majestas militem ex Vngaria, contra Bohemos Vngarorum confederatos eduxerit; Sereniss: Archidux LEOPOLDVS, scriptis ad Palatinum literis, Coronam Posonio transferri per RVDOLPHVM à TYFFEMPACH voluerit; Haidones, medio ANDREA DOCZI, & ANDREA LONIAI eradicare, & evertere sategerit; Civitates liberæ montanæ, ac Posoniensis, varijs modis, turbatæ fuerint. Sed facilis est ad hæc responsio. Militem suo ære conducere, & extra Regnum, quo libuerit educere, liberum semper fuit Regibus Hungariæ, pro vt ex Decretis ANDRÆ Hierosolymitani, alijsq; deinceps Regni Statutis, liquidò constat. Quocirca cum à Moravis, Austria-

cisq;

eisdē in postrema Regni Dieta instanter peteretur, ut mil-
 lū ex Hungaria contra ipsoseductio prohiberetur; respon-
 sum fuit: prohiberi Regiam Majest. non posse, quo minus
 Iure suo hac in parte uteretur. Demum autem, quod Sereniss.
 Leopoldus aliquid de Corona, Palatino Vngariæ scripserit;
 Non disputo, in hac rerum constitutione id merito, pru-
 denterq; fieri potuisse. Illud certum est; Regem FERDINANDUM
 istud factum propriè non concernere. De Haidonibus quod additur,
 ad invidiam excogitatum figmentum est: sine teste, sine vlla probatione,
 temerè effuturum. Nec vnquam, vel Scribæ, vel Loniay, vel quisquam alius,
 indicium proferre poterunt, quo Sereniss. Regem FERDINANDUM,
 Haidonibus exitum machinatum esse, testatum reddant. Circa liberarum quoq; Civitatum Iura, quid
 actum aliquando fuerit, non disputo, licet non sint defuturi,
 qui acta omnia æquitati consona fuisse ostendent, ubi res
 postulat; Illud dico; Rebellionis contra suam Majestatem
 concitata, causam hic nullam esse; nam ea omnia quibus se
 læsos Cives quæri possunt, sub felici Regimine suæ
 Majestatis accidisse nemo dixerit.

Atq; hæ sunt, graves illæ ac Iustæ (scilicet) causæ, quibus
 Scribæ (neq; enim Status ac Ordines, quibus plus inest
 sapientiæ, quàm ut has Næcias profundant) persuadere
 sibi similibusque nituntur, justam Rebellionis causam se-
 ditionis quosdam habuisse. Quæ tamen quàm frivola,
 quàm à veritate ac ingenua sinceritate sint aliena, vel ex ijs
 solis, quæ carptim attigimus, nullo negotio cordati viri de-
 prehendant: Nam quæ de rebus Regni Sclavoniæ conge-
 runt, cum in ejus Regni negotijs versatus ipse non sim, ea
 attingere nolui. Non deerit rerum illius patriæ gnarus, qui
 eas quoq; querens discipiat. Illud in genere dico, quod per
 se sufficit, ut constet nullam à Sereniss. Rege FERDINANDO
 rebellan-

rebellandi occasionem datam esse. Vetera omnia esse, et
 tiam si vera forent, quæ commemorantur. Nam quod Dal-
 matia tota sit amissa; quod Clyssa perdita; quod per Paradai-
 serū Canisa prodita; quod Dominus Comes Tersaczky Ba-
 nus factus; quod Segniâ Vscocci pulsi, hæc inquam omnia
 (quæ tamen potissima sunt accusationum capita) ejusmo-
 di sunt ut Serenissimo Regi FERDINANDO imputari
 non possint, quippe quorum nihil ipso regnante acciderit.
 Seculum effluxit ex quo Dalmatia avulsa fuit per Veneros:
 Errati hujus poenam luat Rex FERDINANDVS? Impe-
 ratore RVDOLPHO Clyssa & Canisa perdita; Rebelletur
 eam ob causam Regi FERDINANDO? Ab Imperatore
 MATTHIA Comes Tersaczky Banus factus est, & Segnia
 educti Scocci; Ideone Regi FERDINANDO Homagio
 obstricta fidelitas denegeretur? ô mores, ô Iudicia hominum!
 sed ita res habet: iniqua causa, insulsis fulcienda est argu-
 mentis. Certè si quid vel in Sclavonia, vel in Croatia per ab-
 usum irrepsit, id ipsum emendaturam Regiam Majesta-
 tem non dubitamus; hucusque quod emendari nihil po-
 tuit, partim temporis quo regere sua Majestas capit, brevi-
 tas; partim absentia, & moles ingens negotiorum; par-
 tim Statuta Vngariæ, in futuram Diætam omnia
 gravamina reiicientia; ob-
 stiterunt.

F I N I S,

